


vel adjuvante motū virtute expulsiva alexiterio intus præsumpto, venenum extra pellere antiquiores credidêre. Nos magis mixtum curationis modū approbamus, ex levi attractione, ex similitudine materiæ, non in totum abolita pristina forma, & ex contrarietate alexiterij expellentis, Sed multò probabilior actio ex forma exacta proveniet, ut ex capite Viperæ attrito, ubi actu venenū consistit, & appposito vulcusculo venenoso vera fiet attractio, & valida veneni extra deductio. Quo modo attractio à forma fiat jam conclusum est; Sed facultas alexiteria, quæ venenum extra corpus pellit, contraria proprietate in universum, & propterea ad cutim propellere nititur. Venenum igitur Viperinum extra impositum, trahit sibi simile in totum, forma ipsa venenum unumquodq; quod pariter fluxile est, ut magnes ferrum quod similitimum sibi erat. Caro Viperina intus præsumpta ad cutim propellit tanquam Theramenes lapis, qui ferrum longe à se expellit, Et hæc satis.

  
**QUALE SIT VENENUM**  
*Viperinum tribus illis in particulis contentum, an dissimile sit.*